

- 1453 dilapfos, a proximis accolis ad unum trucidatos; qui in triremibus fuissent, capitali supplicio a se affectos. Haud multo post Lauretani literas in Senatu recitatas, Pontificiæ triremes in altum deductæ majori se classi jungere sunt jussæ: quibus auctus Lauretanus, Alexandrinas quoque Syriacasque triremes expectare constituit, atque ita valida classe conflata, in barbarum movere, quem lacefendo provocandoque a præsentis victoriæ cursu tam diu distinerent, donec, pacatis Italiæ rebus, aliis longe major navium apparatus adesset, in quibus comparandis jam dudum Patres occupatos esse constans fama erat. Nec vani illi rumores, nam ut triremes decretæ aliquanto citius expedirentur, duo Alovisii, Capellius & Lauretanus, decreto Patrum in continentis oram ire jussi fuerant, qui materiem ex proximo conquirerent. Romam quoque non multo post Christophorus Maurus & Ursatus Justinianus sunt missi, de pace apud Pontificem cum cæteris Italiæ oratoribus acturi in Gallia. Antequam legati ad Pontificem profecti essent, Venetæ equitum alæ commeatum cum præsidio hostium interceperant: verum quia res jam ad pacem spectare cæperat, remisit Venetus aliquanto a Gallico bello animum. Verum sic quoque, ne prorsus provinciæ Patres obliti viderentur, aliquot sagittariorum centurias ex urbe, navigiaque per Padi fluenta novissime miserunt. Fœdus ad hæc cum Genuensibus Lucensibusque est initum, ob quod ipsum supplicatio in diem decreta est. Collionem quoque per eos dies clandestine ad suum retraxere stipendium. Sed dum illi hæc, quinque Pontificis triremes, quæ principio autumnii in Turcos moverant, ad vernum tempus, Lauretani injussu, domum rediere: Joannes Dandulus, Antonius Quirinus, Marinus, Andreas, & Nicolaus Contareni, earum præfecti, Patrum decreto in carcerem adducti sunt. Andrea Contareno & Joanne Dandulo, ad quos eam ignominiam nihil attinere compertum est, absolutis, reliqui ærarii facti, semestrique carcere mulctati, nec non navali præfectura sunt perpetuo privati. In quatuor alios humilioris fortunæ de-